

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo uiro,&c. secretario illustrissimi principis Alberti Ducis Borussiae,
S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

esse. Compārent enim notæ singularis cuiusdam sollicitatis in oratione tua. Quare non desino te hortari, cum tua, tum Reip. causa, ut in ijs artibus, in quibus cum expectatione nostræ uersaris, intendas, ut ad Rempub. instructior accedere possis. Ac Minervam Homericam quoq; tibi illud dicere putes, quod Telemacho adolescenti dicit,

ἄλλῃμος εἰς ἴνα τίς σε λαὶ ὀψιγενῶν εὔεπι.

Breui eam partem scholæ, quæ secessit in Tyrripetæ, reducturi sumus, Deo uolente. Te quoq; cum tibi erit cōmodū, redire, ac nobiscū cōmunia studia tractare ac ornare cupio. Bene uale, 22 Ianuarij.

Clarissimo uiro, &c. Secretario illustrissimi Principis Alberti Ducis Borussiae, S. D.

Multæ sunt causæ, cur Deus semina magni amoris parēum erga natos cordibus nostris indiderit. Sed hæc præcipua est, ut hic affectus nos commoueat de amore Patris æterni erga filium Iesum Christum, & erga nos. Remoueamus igitur à Deo Stoicam sententiā, & uerè nos ab eo diligere statuamus. Sciamus etiam, placere ei in nobis similem adfectum erga natos. Ideo fateor me ualde dilexisse filiam, & ea extincta in magno dolore esse: quem tamen cogitatione doctrinæ cœlestis moderari studeo. & uobis gratias ago, non solum quòd nunc
amari-

amanter nostra causa doletis, & literis uestris do-
lorem significatis, fontibus consolationis monstra-
tis: sed etiam, quod antea uiuenti mea filie multa
beneficia praestitistis, quodq; multis officijs meos
iuuatis. Ego etsi reddere similia officia non possum,
tamen animi gratitudinem praestare cupio. Et quia
Deus toties testatur, se ijs qui bene faciunt ordini
scholastico, doctrinam caelestem fideliter custodiē-
tibus praemia redditurum esse (quarum promif-
sionum exempla & hac etate ostendit) spero me
uicissim uobis benefacturum esse: & ut uos & ue-
stros seruet, defendat & regat, toto cum pectore
oro. Bene & feliciter ualete. Die 5 Aprilis 1547.

Chiliano Goltstein S. D.

Quaquam sic satis occupatus eram in appa-
randa apologia, uel potius ἐξουολογία, tamen
dedi has ad te literas Erasmo tuo, semel atq; iterum
hortanti me ad scribendum. Hodie uero ad ipsius
uoluntatem accessit & alius hortator. Conciona-
tor tuae patriae salutem mihi tuis uerbis dixit, quae
erat gratissima: & rogauit, ut si quando commo-
de possem, significarem tibi quid hic fieret. Nos
hic toto ferè mense desidemus, expectantes τὸ ἄ-
τοργάτορα, nondum enim adest. Scis autem, hoc ab-
sente nihil earum rerum geri, quarum nos omnes,
ac uos quoq; expectatio magno pere angit. Non-
dum